
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS;
JOHANNES BAC-
MEISTERUS, D.

Med. & Sup. Math: Prof. P. Facult:
Med. Senior & p. t. Decanus,
ad meditandam piè

S. ANGELO-
RUM CUSTODIAM,
Ipso MICHAELIS

ARCHANGELI FESTO,
AO. MDCLXXXIV.

Omnes Omnium Ordinum ac Dignitatum CIVES ACADEMICOS, quâ fas est ratione, excitat ac hortatur.



Rostochi,
Typis JOH. WEPPLINGII, Acad. Typogr.





CASTRAMETARI S. ANGELOS CIRCA PIORUM COHORTEM, EOSq; ERIPERE è malo, divini Pſaltæ (*Pſ. XXXIV, 8*) divina vox eſt, qvam Veſtris hodiè, O CIVES animis, jubente læta DIEI ſolennitate, ſtudioſius meditandam devotiusqve pervolvendam meritò proponimus. Excitat illa qvosvis CHRISTI in hôc mundô MILITES, ut minus hoſtes timeant, potentes licet ac infeſtos, imbecilliores tamen, qvàm ut conſiſtere ſacrum contra S. Angelorum cœtum poſſint, cujus tutelam ſibi promittere certam habent, qvotqvot benigno in cœlis confidunt Patri. Erigit eadem timidos adverſus pericula; ſolatur providos, magni momenti res qvoties ſuſcipienda venit; munit in Domino ambulantes, ad viam, latronum incurſibus expoſitam, cum deſcenditur: Digna proin, cujus crebræ repetitioni inhæreant, qvibus inſignia DEI beneficia contemplari inſignis voluptas eſt. Sunt Angeli Spiritus; *Dicti* alias ZEBAOTH (*Gen. II, 1. Pſalm. XXXIII. 6.*) à צבא qvod eſt turmatim, congregare ad militiam,

trans



translatum postea ad alios cœtus, ad stellarum phalanges; dicti item VIGILES (*Dan. IV. 17.*) *ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις, θρόνοι, κυριότητες*: (*Rom. VIII. 38. Eph. I. 21. &c.*) *Creati in veritate, ad veritatis perseverantiam, intelligentes, liberi voluntate* (*vid. B. Dannh. Hodos. p. 279*); atqve ii qvidem, qvos hîc respicimus, boni adhuc inqve Bono confirmati, ut deficere inde neqveant. Cogitate, qvàntus inde honos nobis oriatur, tantis qvod gaudeamus ministris, tàm excellentibus qvod cingamur satellitibus. Scilicet, præter Gloriam, qvam DEO debent, ad Ministeria Eidem, ipsôqve jubente, hominibus, exhibenda, nec non ad custodias his præstandas ordinatos invenimus Angelos. Vix reperias (verba B. Dannhaueri recito *Theol. Conscient. Tom. Poster. p. 127.*) qvi cum omne vitæ suæ curriculum memoriâ peragravit, non potuerit mirabiles ductus, symptomata, casus, memorare. Est, (ita pergit idem) qvem nemo meipsô novit melius, qvi in peregrinatione, cum â Croatis tota urbecula spoliaretur, in caupona omnia ad pulvisculum usqve expilarentur, in cubiculo indeprehensus mansit ac ἄσυλος: qui in torrentis impetum illapsus, vidit eqvum unum â curru lorisqve solutum suffocatum, se tamen unà cum Comitibus, curru in mediis aqvis subsistente, salvum: qvâ ope? non vidit, habuit tamen. Qui in præ-

dones milites incidisset, nisi currus, fractus reparandus, longiorem moram, qvam ordinaria vectura, exigebat, exigeret; incolumis posteà ac tutus opperientes fefellit. Est qvi gregi Taurorum in angusta platea obviam factus, in vicinam domum apertâ janua se abditurus, gregem canibus irritatum habuit seqvacem, cornibus impetendus, nisi scala, subvenisset. Fortunam hîc vocat ratio, qvam meliori titulo ornat Christiana Lux, (hactenus ille), ad CUSTODIAM manuducens ANGELICAM. Audiendus hîc Lutherus: Discendum est, Deum demandâsse qvemqve hominem pluribus Angelis, sicut plures Diaboli sunt, qvi ipsi insidias struunt; qvorum hi, si alia non valent, vel mala inspirant somnia, vel mendaces per linguas infensant, vel qvôcunqve aliô modo, qvicquid boni intenditur, impedire, quà possunt, non cessant. Cave verò ne Ethnicis hîc similis vivas, qvi paria ferè vident & experiuntur, sed ea forte fortunâ fieri, sibi persuasum habent: Tu, ubi ponderare incipies, rectiùs dixeris: Hoc fecit, hoc procuravit hostis ex inferno, calumniator pessimus. Vicissim, ubi evenisse boni quid adverteris, dices: habuit hic Angelum Bonum Comitem, minus aliàs dextrè res cecidisset. (vid. Megalandr. in der Hauß-Postill. unde verba hæc h. m. referre libuit). Tantum est,

Ange-

Angelicis circumdari cohortibus. Mirare in ipsis summam, qva pollent, POTENTIAM: qvam & pleræqve appellationes, qvibus divinis in libris cohonestantur, evidentissime demonstrant. Qvod enim Seraphim (celeberrimi Viri verba recito) præterea & Cherubim dictos legimus, in altero Ignis significatio latet, elementorum, qvod Physici docent, efficacissimi; in altero floridæ Juventutis, qvâ ætate maximè viribus pollemus, sumusqve ad rem gerendam expeditissimi, juxta veterem Græcorum versum, qvô senum esse statuitur, faustis apprecationibus successum rerum gerendarum Deo commendare, statæ ætatis virorum prudenti Consilio modum actionibus præscribere, juvenum verò strenuè negotium exeqvi. Qvo factum videtur, ut, si cui visibilem sui imaginem ostendere, placuerit Angelis, aut igneum corpus induerint, aut robusti adolescentis faciem sumpserint, aut certè aliud qvodpiam sensibus objecerint potentiæ documentum, veluti curruum & eqvorum speciem. Ne dicam, ut tales essent, Dei omninò Majestatem exposcere, cum nemo credere possit, principem de satellitio laborare, ut qvibus corporis sui custodiam committat, selectissimi sint & exploratæ virtutis, Deum qvos habet stipatores, non curasse. Magna omninò Angelorum potentia est, ut si â Deo discesseris, qvi mirabilia solus facit, proximum, immenso qvidem intervallo, sed proximum tamen tribuere locum spiritibus beatis liceat, qvos, cum eorum uti Deus ministerio vellet, muneri suo ut pares essent, mirandis ornavit facultatibus. Mirare ipsorum, qvâ piis adsunt ubivis locorum, præsentiam. Est qvæstio inter Scholasticos: An Angelus Bonus Cor hominis obsideat? idqve post Thomam Aqvinatem asserit Caspar. Sanctius ad Zach. I. non abludente Drexel, in Angel. Tutel. Sed benè Dannhauer. *Theol.*

 Con-

Conscient. Tom. Posthum. p. 133. Absit, ut Spiritus S. Templum invadat occupetve ejus Minister. Malorum geniorum ea est impudentia, ut Sp. S. domicilium proprium, cor humanum penetrent, inspirent illi pravas cogitationes, intendant affectus; at spiritus Electi foris, ut apparitores Christi sponsi, qvasi excubias agunt; qvas, licet oculo sensuali non possimus, cum sint spirituales, istaqve animadversio nec temerè optanda vel cogitanda sit ex promissi defectu; oculo tamen fidei, verbi illuminatione satis firmato, qvis est qvi non advertat? Sanè, qvi secum revolverit Davidico Apostolica dicta, certissimè concludet inde, omnem seu privatum hominem, s. populum timentem Numinis, in viis suis ambulantem, electum cœli hæredem, qvasi civem Dothanæum, gaudere præsentiâ, angelorum propitiâ. Diximus Angelorum, ut alteri simul qvæstioni occurreretur, qvâ disputari solet, num qvivis homo tutelarem suum Angelum habeat, qvem coràm semper vereatur. Habet, inqvit modò allegatus Beatissimæ memoriæ Vir, habet satis, qvos vereatur, cœlites, *otacustas & epoptas*, in Ecclesiâ maximè astites, ubi omnia verecundè & honesté geri fas est; Etsi non certum aliqvem ac unicum sibi assiduum & qvasi alligatum teneat. Hoc enim esset cum paganis fingere, qvod nec propriâ vacet angulus ullus ab umbra. Sunt piis proximè gratioseqve præsentes Angeli, promptissimi sanctæ cohortis Defensores. Sed mirare etiam ipsorum benevolentiam; per qvam dulcissimum ipsis, juvare DEI Cultores inter homines; desideratissimum item aspicere mysteria rerum pro hominibus gestarum. Imò tàm ampla est, ut, excellentioris licet sint perfectionis, ipsi sibi honori ducant, eorum gratia, qvos qvondam sunt nacturi sibi similes in cœlis, ministeria subire in terris. Qvid ergo gratius hâc voce: CASTRAMETARI

TARI

TARI S. ANGELOS CIRCA COHORTEM PIORUM EOSq; è malo ERIPERE, IIS promptissimè adesse? Surgat Petrus, in Carcere è somnio excitatus, jamqve in tuto collocatus mentem exponat suam, *nunc*, inqviet, *verè & reipsa scio, Dominum misisse mihi Angelum auxiliatorem*. Surgant Debora & Baracus, edicantqve qvos contra Cananæorum formidabiles legiones habuerint sibi assistentes, stellas in ordine suo depugnâsse prædicabunt, per qvas Angelos haud præter rationem Vallesius intelligit, qvi insolitâ grandinum, imbrium, ventorum tempestate, implicuerint confuderintqve Cananæos, ceu in suis commentariis testatur Josephus. Surgant pii omnes, omnes castrametari circa cœtum Deo addictum S. Angelos confitebuntur: ut non abs re cuilibet illorum immutato parumper Claudiani illo acclamare, cum viro pio devotoqve, liceat.

O nimium dilecte Deo, cui mittit ab astris
Ipsemet armatas acies, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad prælia venti.

Haud verò permittit jam tempus, ut in Castra prolixius ingrediar, qvæ circa, S. versari Angelos novimus, nec evolvere nunc historias valemus omnes, qveis adfuisse Christianorum qvibusqve, modo non restiterint ipsi, castris edocemur; monere potius hæc dies qvemqve Vestrum jubet, ut, qvi scitis ubiqve præsentes piosqve defendentes S. Angelos, reverentiâ eos debita ut hospites excipiatis, ut comites retineatis. Egregiè Bernhardus in verba Ps. 91. Angelis præcipiet de te, monet: O qvantam verbum hoc tibi debet inferre reverentiam! adferre devotionē, conferre fiduciam! pro præsentiâ reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro custodia fiduciam! Absit verô, dum isthæc insinuantur, Angelolatria, qvā neq; prima voluit Ecclesia admittere; qvò facit Origenis locus &c. qvi videri potest ap. Dannh. Christeid

Act. I.

Act. I. Theatr. I. Phænom. IV. p. 175. Qvid? qvod ipsi hunc adorationis honorem, hanc Deo debitam reverentiam recusent Angeli, qvos colendi modus non melior, datur qvàm imitatio Angelicarum virtutum. Spectandum in Angelis, qvô voluntatem Dei, ut exactè nôrunt, ita sine morâ perficiunt, sacrum obseqvium, sedulòqve orandum, ut fiat voluntas Domini in terris, sicut fit in cœlis. Consideranda in ipsis, qvâ se eò magis demittunt, qvò præstantioris sunt naturæ, sincera humilitas, pariterqve id agendum, ut nemo, qvi eorum vult consortio frui, altum sapiat, suave cuiqvam deneget officia, qvò magnus ipse in sanctissimorum horum spirituum oculis habeatur. Evehenda, qvâ omni â spurcitie abhorrent, venerabilis castitas, casteqve vivendum & sobriè. Deprædicanda etiam Concordia, devotio, similesqve virtutes, qvæ placent ipsis, qvas in nobis inveniri delectant, has imitari fas est, si templum Domini censeri velimus, ad qvod festinent optimi Spiritus, qvod contra insultus Diaboli fortissimè defensitent. Agite, ut, his conspicui, O Cives, dici qveatis sponsa, Angelicis fulta ministeriis & superno stipata agmine incedens; agite ut vitâsse ex vero credamini ea, qvibus abigi abs hominibus solent, unà cum Deo, Deum secutæ cohortes Sanctæ. Huc enim redit tandem omne, qvod insusurramus vobis, dum, angelicam ut meditemini custodiam, hortamur. Ponderate Bernhardi illa: Habetote familiares Angelos (O Cives incluti, charissimi) freqventate eos sedula cogitatione & devotâ oratione, qvi vobis semper adsunt ad custodiam & consolationem! Ponderate hæc & valete in Domino.

P.P. ipsô Michaelis Archangeli Festo Ao. 1684.

Sub Sigill. Rectorat.

